

SACRA CONGREGATIO RITUUM.

I.

DUBIUM CIRCA CANTUM " BENEDICTUS QUI VENIT ", ETC., IN MISSIS CANTATIS.

Exorto dubio, et Sacrorum Rituum Congregationi, pro opportuna solutione, proposito, circa interpretationem verborum *Gradualis Romani* tit. " de ritibus servandis in cantu Missae ", n. VII, ubi legitur: " Finita Praefatione, chorus proseguitur *Sanctus* ", etc., quaeritur: " An haec verba in Missis cum cantu sint interpretanda ut *Sanctus* canatur usque ad *Benedictus* inclusive vel exclusive? "

Et Sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis voto, omnibus perpensis respondendum censuit: " *Negative* ad primam partem, *affirmative* ad secundam, iuxta *Caeremoniale Episcoporum*, lib. II, cap. VIII, 70 et 71 et decreta n. 2682, *Marsorum*, 12 novembris 1831, ad 31, n. 3827, decretum generale 22 maii 1894 et n. 4243 *Cephaluden*, 16 decembris 1909 ad VI ". Insuper ad maiorem declarationem et explicationem statuit: quod in novis editionibus *Gradualis Romani*, titulo et numero praedictis nempe: " de ritibus servandis in cantu Missae ", n. 88, ponatur: " Finita Praefatione chorus proseguitur *Sanctus*, etc., usque ad *Benedictus qui venit*, etc., exclusive; quo finito, et non prius, elevatur Sacramentum. Tunc silet chorus et cum aliis adorat. Elevato Sacramento, chorus proseguitur cantum *Benedictus* ". Haec autem Rubrica inviolabiliter observetur, quibuslibet contrariis non obstantibus, in omni Missa cantata tum vivorum, tum defunctorum sive cantus gregorianus, sive cantus alterius cuiusvis generis adhibeatur.

Atque ita rescripsit, declaravit et servari mandavit. Die 14 ianuarii 1921.

✠ A. CARD. VICO, Ep. Portuen. et S. Rufinae,
S. R. C. Praefectus.

L. * S.

Alexander Verde, *Secretarius*.